QUI MIHI LILIENSE Burleſque Redditum.

Qui mihi Combibulus puer es, cupis atq; jocari,
Huc ades! hæc manibus pocula ſume tuis!
Mane tibi primò generoſos accipe potus,
Vina dein', Bacchum ſic venerare Deum!
Attamen inprimis facies ſit rubra; meróque
Sint madidæ veſtes, promptáque cerviſia.
Dimidium fugiens, tibi cùm ſchola noſtra propinat,
Adſis, nec totum ſit bibere ulla mora.
Me præceptorem cùm videris, ore ſalutem
Pota, combibulis ordine quiſque tuis.
Tu quoque fac ſedeas, quando tibi ſtare negatur
Ampliùs; & niſi ſis ſolus abire cave.
Nam magìs ut quiſque eſt potandi munere clarus,
Sic magìs is clarâ ſede locandus erit.
Pocula, vina, petum, numeroſáque fiſtula munda,
Sympoſiis ſemper ſunto parata tuis.
Cúmque tuum bibere eſt, bibito, ſed pocula plena;
In cyathis nec ſit gutta relicta tuis.
Sed tua nec laceris ſint vina aut defruta condis
Credita, quæ vivis impoſuiſſe decet.
Sæpe propinato, potúmque revolve palato;
Cùm ſitias nunc ex his bibe, nunc aliis.
Qui ſitit, & qui ſæpe bibit, mea ſceptra tenebit;
Dum raró ſitiens rejiciendus erit.
Ergò attende vicem, nolique omittere potum,
Nè mens te accuſet ſobria deſidiæ.
Oréque ſis cupido; quid enim tribuiſſe juvabit
Pocula, ſi tu avido non capis ore merum?
Nil tam difficile eſt quod non Temulentia vincat:
Bacchare, & parta eſt gloria perpetua.
Nam veluti flores tellus, nec ſemina profert,
Sæpè illam humeſcat nî pluvialis aqua:
Sic puer, immenſo cerebrum nî flumine vini
Proluat, & tempus perdit & ingenium.
Eſtque inter ſocios lex nulla tenenda bibendi,
Nè nos offendat noxia ſobrietas.
Incumbens cyathis ſubmiſſâ voce loqueris;
Poſthæc cùm ſatur es, voce canorus eris.
Et quoſcunque bibis calices vertantur ad unguem
Singula, & exhauſto pocula redde mero.
Sed cave contingat bibituri brachia nullus,
Quod vino damnum non mediocre parit.
Si potum dedero, ſic tu potare ſtudebis,
Principis ut palmas & merea̋re decus.
Non hauſtu celeri nimis aut culpabere tardo;
Crapula enim eſt virtus quam tenuiſſe juvat.
Tu quoties potas, altè potare memento;
Et veluti ſcopulos pocula parva fuge.
Porrò combibulis quoties te cunque rogabunt
Præbibe, qui ſitiunt ad mea vota trahe.
Qui potat ſitienti homini, licèt ipſe ſitiret,
Indè magìs reliquis ebrius eſſe queat.
Sed tu nec rigidos curabis (amice) Catones;
Ingens ſunt Baccho dedecus ingenuo:
Quorum tam frugì non eſt nec ſobrius ullus,
Quem non potantem cætera turba probet.
Rectè Bacchandi ſi vis cognoſcere leges,
Si potare ſcies fuſiùs ore merum;
Addiſcas veterum facta immoderata Bibonum,
Et quos Authores ebria turba colit.
Nunc madido cantu Gallus *te invitat ut intres;*
Anchora *nunc liquidæ dat tibi ſigna ſpei:*
Quod magìs invitat, Globus *en potabile præbet*
Aurum, dum Delphin *dat Mare Nectareum.*
Hæc qui non novit, vappa illi alimenta miniſtret,
Nec ſit ei majus ſobrietate decus.
Sunt quos delectat (ſtudio ebrietatis amandæ
Poſthabito) ſiccis tempora conterere:
Sunt quibus eſt cordi manibus pedibúſve bibentem,
Aut alio quovis ſollicitare modo:
Eſt alius qui dum medium ſervaſſe ſuperbit,
Bacchandi inſulſo reprobet ore genus.
Te tam ſtricta ſequi nolim veſtigia morum,
Nè ſocium offendas combibulúmque tuum.
Non dabis aut perdes, commutabiſve liquorem;
Ex vino alterius commoda nulla feres.
Inſuper & curas (irritamenta malorum)
Mitte aliis, lætum nil niſi læta decent.
Virtutes, menſura, modus, moderatio, honeſtas,
Sint procul à vobis, ſobrietáſque procul.
Nulla bibas penitùs comedáſve ingrata palato;
Os tibi nempe cibi janua, porta meri.
Ingens crede nefas Baccho maledicta referre,
Potare aut liquido pocula parva Deo.
Denique ſervabis calices & pocula tutò,
Ut tu ex his quoties iſque rediſque bibas.
Effuge vel cauſas faciunt quæcunque modeſtum;
Sic Baccho gratus, ſic mihi charus eris.

F *I* N *I* S.

18. march. 16 79/80.